

uero secedentes ab inde uella eorum versus patriam conuerterunt. Et alij in insula remanentes qui erant multi se tanquam mortuos reputabant ignorando modum per quem inde secedentes possent ad salutarem portum uenire nam uideba[n]t naues que euaserant ipsis relictis uersus earum patriam remeare. que tantum nauigarunt quod ad patriam peruenerunt :/  
qualiter gentes magni can a tempestate maris euaserunt & post modum ceperunt ciuitatem inimicorum /

**D**um uero qui ad supradictam insulam euaserunt ut predicitur taliter remanerent in ea absque spe discedendi abinde quid accidit. dominus & gentes insule magne uidentes quod exercitus inimicorum fuerat taliter destructus & fractus & scientes de illis qui super insulam euaserant | multum fuerunt 57<sup>r</sup> gaudentes & statim cum mare fuit quietum intrantes nauigium quod erat per insulam illam. ad hanc insulam peruenerunt. & descenderunt in terram causa capiendi illos qui super insulam remanserunt. Et cum illi uidissent quod omnes eorum inimici ad terram descenderant & quod nullus remanserat super naues/ tanquam sapientes egerunt. Nam insula erat multum in medio subleuata. & dum inimici properarent ad eos ipsi ceperunt iter ad partem unam insule & circuentes ipsam ab alia parte peruenerunt ad nauigium inimicorum non inuenientes ipsum aliquibus ex hostibus ocupatum. nam omnes recto tramite per partem per quam isti fugerant/ eos fuerant insecuri/ nec affecti erant in hoc & isti ascenderentes nauigium ad inimicorum insulam peruenerunt & descendentes ad terram cum uexilijs domini insule ad ciuitatem magistram iter uerterunt & illi qui in ciuitate remanserant qui solummodo senes erant & mulieres uidentes uexila crediderunt eorum gentem esse. & eos intrare dimiserunt Jsti uero habita ciuitate omnes de ciuitate expulerunt exceptis certis pulcris mulieribus quas pro eorum necessariis tenuerunt. Et quemadmodum audiuitis homines magni can ciuitatem ceperunt. & tunc cum dominus & gentes insule uidissent quod sic eis euenerat mirabiliter doluerunt. & cum residuo nauigij ad insulam redeuntes ciuitatem taliter obsiderunt quod absque eorum consensu & uelle| introitus & exitus ciuitatis aliquibus non 57<sup>v</sup> patebat. gentes vero magni can ciuitatem multo tempore tenuerunt procurantes cotidie notificare negotium magno can. set nullo ingenio valuerunt propositum suum ducere ad effectum quare finaliter cum exterioribus pactum & concordiam contraxerunt videlicet quod saluis personis ibi permanere deberent totis temporibus uite sue. & sic fuit seruatum. Magnus uero can unum ex duobus baronibus qui capitaneus exercitus illius extiterat decapitari mandauit alterum uero misit ad quamdam siluestrem insulam nomine Çorça in qua gentem multam propter graues offensas facit destruere in hunc modum nam cum aliquem mitit destruendum ad insulam predictam facit sibi manus cum corio bufalli tunc nuper excorticati

*vide fortunam derelictis*

*de Insula çorça & modo  
mortis dant captiuis.*